

lem ponebat, quæ erat vna, cunctis corporibus assistens; contra quam opinionem pugnauerunt PP. Concilij Lateranensis, & Viennensis; quapropter præceptum dederunt scholasticis præceptoribus, vt in philosophia Aristotelis non trahant moram, quia radices habet infectas. immo iuxta Iustinum Martyrem in oratione parenetica ad Gentes ait [Aristoteles speciei ut principijs nusquam mentionem facit, duo verò principia esse dicit, Deum, & materiam] ex quibus appareret, quod Aristoteles dixit id, quod voluit, non id, quod erat. quare ergo nos Christi fidèles, illi, & eius doctrinæ tantam fidem adhibere debemus, vt satis sit dicere, Aristoteles dixit? amicus Socrates, amicus Plato, sed magis amica veritas.

33 Obicies 2. ablata materia prima, tollitur mutatio substantialis; sed non debet, nec potest negari generatio substantialis; ergo nec tolli, siue negari materia prima debet, quia ibi est terminus a quo, & ad quem.

Respondco, nego maiorem, loquendo de materia prima aristotelica; si vero intelligatur de parte perfectibili substantiali, concedo maiorem; & dando minorem, nego consequentiā ad probationem eius dico, verum est, quod debet dari terminus a quo, & ad quem; sed isti non sunt neque materia neque forma aristotelica, bene quidem pars perfectibilis, & perfectiva elementaris modo supra explicato quest. 2. sect. 4. subsect. 3.

n. 22.

34 Obicies 2. subiectum mutationis substantialis vel habet subiectum, vel non; si hoc secundum, erit materia prima; si primum, queritur de illo subiecto, & sic in infinitum dabitur processus, quod non est concedendum.

Respondeo non habere subiectum, cum sit substantia prima non potest habere subiectum; id namque, quod verè subiectatur accedit illi, in quo subiectatur; datur quidem in generatione subiectum perfectionis, actuationis, contractionis, & denominacionis, non verò substantialis in hæsionis respectu primæ substantiæ a me pluries explicatae.

35 Obicies 4. dantur partes componentes compositum; at istæ sunt materia & forma; ergo &c. Rejicitur hoc argumentum cum conclusione supra posita, contra quam argumentum pugnaret si vim valoris haberet.

36 Obicies 5. si non materia, & forma aristotelica, sed elementa essent prima rerum principia, nullū compositum posset